MISSA PRO SPONSO ET SPONSA

* Dicto Pater noster, Sacerdos antequam dicat Líbera nos, quaésumus, Dómine, stans in cornu Epistolae versus Sponsum et Sponsam ante Altare genuflexos, dicit super eos sequentes Orationes:

Orémus.
PROPITIÁRE, Dómine, supplicatiónibus nostris, et institútis tuis, quibus propagatiónem humáni géneris ordinásti, benígnus assíste: ut, quod te auctóre júngitur, te auxiliánte servétur. Per Dóminum.

Orémus.
DEUS, qui potestáte virtútis tuae de níhilo cuncta fecísti: qui dispósitis universitátis exórdiis, hómini ad imáginem Dei facto, ídeo inseparábile mulíeris adjutórium condidísti, ut femíneo córpori de viríli dares carne princípium, docens quod ex uno placuísset instítui, numquam licére disjúngi: Deus, qui tam excellénti mystério conjugálem cópulam consecrásti, ut Christi et Ecclésiae sacraméntum praesignáres in foédere nuptiárum: Deus, per quem múlier júngitur viro, et socíetas principáliter ordináta, ea benedictióne donátur, quae sola nec per originális peccáti poenam, nec per dilúvii est abláta senténtiam: réspice propítius super hanc fámulam tuam, quae maritáli jungénda consórtio, tua se éxpetit protectióne

muníri: sit in ea jugum dilectiónis et pacis: fidélis et casta nubat in Christo, imitatríxque sanctárum permáneat feminárum: sit amábilis viro suo, ut Rachel: sápiens, ut Rebécca: longaéva et fidélis, ut Sara: nihil in ea ex áctibus suis ille auctor praevaricatiónis usúrpet: nexa fídei mandatísque permáneat: uni thoro juncta, contáctus illícitos fúgiat: múniat infirmitátem suam róbore disciplínae: sit verecúndia gravis, pudóre venerábilis, doctrínis caeléstibus erudíta: sit fecúnda in sóbole, sit probáta et ínnocens: et ad beatórum réquiem, atque ad caeléstia regna pervéniat: et vídeant ambo fílios filiórum suórum, usque in tértiam et quartam generatiónem, et ad optátam pervéniant senectútem. Per eúmdem Dóminum.

* Tunc Sacerdos reversus ad medium Altaris dicat Líbera nos, quaésumus, Dómine, et reliqua more solito ; et postquam sumpserit Sanguinem, communicet Sponsos: et prosequatur Missam.

* Dicto Benedicámus Dómino, vel, si Missae illius diei conveniat, Ite, Missa est, Sacerdos antequam populo benedicat, conversus ad Sponsum et Sponsam, dicat:

DEUS Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob sit vobíscum: et ipse adímpleat benedictiónem suam

in vobis: ut videátis fílios filiórum vestrórum usque ad tértiam et quartam generatiónem, et póstea vitam aetérnam habeátis sine fine: adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus, per ómnia saécula saeculórum. R/. Amen.

* Moneat eos Sacerdos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem: orationis tempore, et praesertim jejuniorum ac solemnitatum, casti maneant: et vir uxorem, atque uxor virum diligat: et in timore Dei permaneant. Postea eos aspergat aqua benedicta, et dicto Pláceat tibi, sancta Trínitas, det benedictionem: et legat, ut solitum est, Evangelium S. Joannis:

In princípio erat Verbum.

MISSA PRO SPONSO ET SPONSA

* Dicto Pater noster, Sacerdos antequam dicat Líbera nos, quaésumus, Dómine, stans in cornu Epistolae versus Sponsum et Sponsam ante Altare genuflexos, dicit super eos sequentes Orationes:

Orémus.
PROPITIÁRE, Dómine, supplicatiónibus nostris, et institútis tuis, quibus propagatiónem humáni géneris ordinásti, benígnus assíste: ut, quod te auctóre júngitur, te auxiliánte servétur. Per Dóminum.

Orémus.
DEUS, qui potestáte virtútis tuae de níhilo cuncta fecísti: qui dispósitis universitátis exórdiis, hómini ad imáginem Dei facto, ídeo inseparábile mulíeris adjutórium condidísti, ut femíneo córpori de viríli dares carne princípium, docens quod ex uno placuísset instítui, numquam licére disjúngi: Deus, qui tam excellénti mystério conjugálem cópulam consecrásti, ut Christi et Ecclésiae sacraméntum praesignáres in foédere nuptiárum: Deus, per quem múlier júngitur viro, et socíetas principáliter ordináta, ea benedictióne donátur, quae sola nec per originális peccáti poenam, nec per dilúvii est abláta senténtiam: réspice propítius super hanc fámulam tuam, quae maritáli jungénda consórtio, tua se éxpetit protectióne

munívri: sit in ea jugum dilectiónis et pacis: fidélis et casta nubat in Christo, imitatríxque sanctárum permáneat feminárum: sit amábilis viro suo, ut Rachel: sápiens, ut Rebécca: longaéva et fidélis, ut Sara: nihil in ea ex áctibus suis ille auctor praevaricatiónis usúrpet: nexa fídei mandatísque permáneat: uni thoro juncta, contáctus illícitos fúgiat: múniat infirmitátem suam róbore disciplínae: sit verecúndia gravis, pudóre venerábilis, doctrínis caeléstibus erudíta: sit fecúnda in sóbole, sit probáta et ínnocens: et ad beatórum réquiem, atque ad caeléstia regna pervéniat: et vídeant ambo fílios filiórum suórum, usque in tértiam et quartam generatiónem, et ad optátam pervéniant senectútem. Per eúmdem Dóminum.

* Tunc Sacerdos reversus ad medium Altaris dicat Líbera nos, quaésumus, Dómine, et reliqua more solito ; et postquam sumpserit Sanguinem, communicet Sponsos: et prosequatur Missam.

* Dicto Benedicámus Dómino, vel, si Missae illius diei conveniat, Ite, Missa est, Sacerdos antequam populo benedicat, conversus ad Sponsum et Sponsam, dicat:

DEUS Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob sit vobíscum: et ipse adímpleat benedictiónem suam

in vobis: ut videátis fílios filiórum vestrórum usque ad tértiam et quartam generatiónem, et póstea vitam aetérnam habeátis sine fine: adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus, per ómnia saécula saeculórum. R/. Amen.

* Moneat eos Sacerdos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem: orationis tempore, et praesertim jejuniorum ac solemnitatum, casti maneant: et vir uxorem, atque uxor virum diligat: et in timore Dei permaneant. Postea eos aspergat aqua benedicta, et dicto Pláceat tibi, sancta Trínitas, det benedictionem: et legat, ut solitum est, Evangelium S. Joannis: In princípio erat Verbum.